



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

Acta eius in Monte serrato. Cap. IV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

pia ipsius studia regente periclitatus,  
letalis noxæ crimen felicius effugit,  
quàm sapientius. Inde progressus ad vi-  
cum à Monte Serrato haud longè di-  
stantem, de peregrinatione Hierosoly-  
mitana, de qua asperiore vita quam pri-  
mum ineunda mirè sollicitus, viatori-  
um ibi coemit ornatum, sparteos vide  
licet calceos, talarem è sacco tunicam,  
funemque pro balteo, tornatilem ba-  
culum, & in usum aquæ cucurbitam.  
Quæ omnia, vt Christi paupertatem  
non erubescere, & peruersam recti ve-  
recundiam deponere paulatim assue-  
ficeret, suspensa propalam ex ephippijs  
ad montem usque latus aduexit.

*Aitacius in Monte Serrato.*

*Cap. IV.*

**Q**VO simul atque peruenit, tem-  
plum ingressus, ac numine salu-  
tato, nihil antiquius habuit, quàm vt  
per sacram totius anteactæ vitæ con-  
fessionem, cōtractas animi sordes elue-  
ret. qua confessione in primis fideliter  
atque accuratè de scripto peracta per  
triduum, summa deinde cum venera-

B s tie

tione ad sacramentum altaris accessit.  
Cōtulit etiā cū eodē patre, qui sibi con-  
fitenti aures dederat, omnia sua cōsilia  
cogitationesq; de imitatione Sancto-  
rū, quę ad eam usque diem prorsus nc-  
mini patefecerat. prētereā quidquid ha-  
buit pecunię, totum id in Christi Do-  
mini gratiam pauperibus benignè diui-  
sit. Dcīn silentio noctis eius, cui dies fe-  
stus Angelicæ salutationis illuxit, pre-  
tiosa vestimenta quibus erat ornatus,  
quā occultissimè potuit, pannoso cui-  
dam ex infima plebe largitus, cōfestim  
optato illo sacco sese alacer induit, ac  
fune præcinxit; dextro pedi, quòd ex  
reliquijs morbi singulis etiam tum no-  
ctibus intumesceret, calceum induxit  
ē sparto; sinistrum vtiq; nudum relin-  
quere, & capite item nudo prorsus de-  
creuit incedere. Sed quia non ignora-  
rabat, plurimos pallio tenuis esse philo-  
sophos, vestemque facilius multo mu-  
tari quam mentem; omni ope sibi eni-  
tendum existimauit, vt illa exterioris  
amicus insignia, ad intimos animi sen-  
sus occulta quadam affinitate pertin-  
gerent, cumque accepisset, in more po-  
situs

sitū olim fuisse, vt nobiles equites ante quā in ordines referrentur, in sacris ædibus noctem vnam armati excubarent (quod in Hispania per uigilium ar morum appellat) militarem illum ritum ad rudimenta Christianæ perfecti onis in semetipso transferre cōstituit. Igitur gladio ac pugione, quibus antea mūdo meruerat, è tholo suspensis, novo instructus armorum genere, totam eam noctem per uigil ante arā sanctissimæ Virginis, modo stās, modo nixus genibus, præteriorum veniam demisse precari, diuino cultui deuouere sese ac beatam præcipue Dei matrem intēta supplicatione propitiare non destitit. Atq; hunc in modum Christianæ militiæ nomen ex animo dedit Ignatius anno post Christū natū M.D.XXII. quo ferme ipso tempore, vt à multis non sine admiratione quidem animaduersum est, Martinus Luther infamis hæresiarcha, magnis in Germania motibus excitatis, iussus à Carolo V. Imperatore adesse VVormatiæ, male pressum ad eam diem virus opinionum suarum effudit in illo cōuentu

uentu palam, sedique Apostolicæ & catholicæ veritati nefarium atque impium bellum temulentus indixit: ut satis appareat, cum maximè furiam illam contra omnia diuina & humana iura, legesque sacratas obarmaret satanas; tum ex altera parte, præter alia militatis Ecclesiæ robora, nouum etiam huc ducem, excitatum diuinæ prouidentiæ nutu, quem Christus imperator, & ipsum, & sectatores ipsius, obligatos religionis arctissimæ sacramento, adatosque nominatim in verba Romani Pôfificis, furori ac libidini hereticæ prauitatis opponeret.

*Ardores eiusdem in studio pœnitentie.*

*Cap. V.*

**S**Acra igitur vigilia, quemadmodum dicebamus, exacta, quo celebritatem hominum, famamque sanctitatis vietaret Ignatius, nondum certa luce, religio monachis iumento, pedes ipse, obuoluto etiam tum fascijs altero cruce claudicans, per summum laborem à Monte Serrato discessit, & è via militari paulo post deflexit primum ad deser-